alias fortuna noſtra variis criminationibus, ad ſuperioris aures tandem delatis, ſuſpecta reddi, labefactari, vel plane everti poteſt. Cum contra populi amor ſuſtentare felicitatem noſtram licet aliunde quaſſatam facilius, aut ſaltem miſericordia ſua mitigare aliquatenus mala noſtra queat.

SECTIO II.

§. 1.

VIdimus hactenus quid ſit Infortunium & quotuplex; jam proſpiciendum erit de remediis, quibus declinari ſeu evitari id commode poſſit. Per declinationem vero Infortunii nihil intelligimus aliud, quam omnimodam averſionem & ſublationem, vel etiam aliqualem ſaltem emendationem eorum, quæ nobis contrariantur.

§. 2.

Quod ut obtineamus, neceſſum erit, ad duo ut attendamus 1) *ut in cauſas unde noſtra Infortunia dependeant, accurate inquiramus;* 2) *ut cauſas cognitas prudenter evitemus vel admiſſas removeamus.*

§. 3.

Prius erat, cauſas Infortunii exquiſitiſſime indagare. Quia enim, quod ſupra monuimus, Infortunia noſtra quamplurima non aliunde ſunt, quam ex noſtra imprudentia, aut negligentia in cauſis earumque connexionibus conſtituendis & coordinandis, quando cœco impetu omnia peragimus, haud conſiderantes, qualis ex noſtris actionibus eventus ſit futurus; hinc maxime neceſſarium eſt, cauſas ipſas earumque connexionem, probe dignoſcamus. Quod ut decenter fiat, ſpectandæ erunt *eædem tum in ſe, tum reſpectu noſtri.*

§. 4.

In ſe cauſæ conſiderantur, videndo, an per ſe ac ſemper effectum nobis contrarium producant, an vero tantum per accidens & raro? Sic Infortunium Supernaturale Deum habet cauſam efficientem principalem, qui talia infortunia (e. c. plagas Ægyptiorum &c.) intendit & conſequenter per ſe, ac, quoties *vult*, cum impediri nequeat, ſemper producit. In Naturalibus cauſa eſt intrinſeca naturæ depravatio, humorum vitiata qualitas, aut redun-

dans